

verò ex medio funiculi sic extensi $A B$, nempe ex I suspendi-
 mus aliud pondusculum H itidem unius unciae, & observa-
 vimus ab hoc medio pondusculo funiculum ex I deprimi us-
 que ad C , sublatis utrinque ponderibus F & G , donec cum il-
 lo medio H reducerentur ad æquilibrium; id quod tum fa-
 ctum notavimus, cum linea $C I$ esset dimidia distantiae $A I$
 vel $B I$, quemadmodum potentia five pondus H dimidium
 erat utriusque ponderis five potentiae F & G simul sumto-
 rum. Similiter suspensa ex I semuncia, non nisi ad K usque
 deprimebat funiculum, ut $K I$ esset pars quarta distantiae $A I$;
 tandemque appensâ drachmâ unicâ inflexionis mensura $L I$
 erat pars octava distantiae $A I$; ut sic inductione quadam in-
 ferre liceret hanc Borelli Conclusionem: *Si duæ potentiae F & G
 trahant funem horizontaliter per $A D$ & $B E$, & tertia po-
 tentia H trahat funis medium perpendiculariter deorsum, fiatque
 æquilibrium in C vel K , vel L ; erit potentia H ad potentias
 F, G , ut $C I$ ad $A I$, vel ut $K I$ ad $A I$, vel $L I$ ad $A I$ &c.*
 Ex qua porro consequitur: *Minimam quamque potentiam, cum
 aliquam proportionem tamen habeat ad maximas quasvis F, G ,
 debere funiculum ab his tensum aliquantillum saltem inflectere,
 ut $L I$ sit ad $A I$, sicut L ad F, G .* Quibus ita certis, obvia quo-
 que est veritas Prop. XCIV. Borellianæ, quæ idem de gemi-
 nato funiculo $F H I$ & $f h i$ demonstrat, quod antea de simi-
 plici demonstraverat, quamque nos experimento simili o-
 stendissemus ad oculum, nisi solâ subsumptione sub istis prio-
 ribus pateret. Nam, si duos funiculos in F & I colligatos
 trahant duæ potentiae perpendiculariter sursum ac deorsum,
 & aliæ duæ H & h æquales eosdem horizontaliter distrahant;
 istis prioribus duabus mente divisis in duas æquales partes F
 & f, G & g , ut una respondeat uni, altera alteri funiculo, ha-
 bebimus jam casum superiorum Conclusionum gemina-
 tum, eritque potentia H ad duas F & G ut $H O$ ad $O F$, si-
 militerque h ad duas f & g ut $h O$ ad $O f$, atque adeo H & h
 simul ad totas $F f$ & $G g$ ut $H O$ ad $O F$, & consequenter
 quali-